


Liber Bibliothecae Academicae
publicae Senkenbergianae.
Rep. No. *Ms. 270*



A. ~~30~~. 31.

~~3~~ N. 3.

2-9
011

20.3.

20.3.
Comites

1711
1712

[Faint, illegible handwriting, possibly bleed-through from the reverse side of the page]

omiles Solosani
Fratri Bernardi
roudonis Ordinis præ-
dicatorum, Inqui-
sitoris Hæreticæ pra-
uitatis, in Regno
Franciae per Aposto-
licam Sedem deputati



[Faint, mirrored handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is illegible due to fading and mirroring.]



Legit
liquis
pro fe
magn
to Pi
Carlo
funct
rum

Comites Tolosani Fratris Bernardi guido-
nis Ordinis prædi-
catorum, Inquisitoris
Hæreticæ prauitatis, in
Reono Francia per
Apostolicam Sedem de-
putati . 1 .

Legitur in gestis Francorum et in Chronicis an-
tiquis quod Carolus huius nominis primus qui
pro felicitatis magnitudine cognominatus est
magnus, filius Pipini Regis Francorum defunc-
to Pipino patre suo successit in Regno cum
Carlomano fratre suo, quo post biennium de-
functo, Carolus magnus totius Regni Franco-
rum adeptus est Monarchiam, circa annum

Domni Septingentesimum Septuagesimum,
cuius prima expeditio fuit in Aquitaniam;
quam Pipinus Pater suus bellando contra
Gayserium Ducem Aquitaniae, sua sube-
gerat ditioni: constituitque Carolus mag-
nus in Aquitania sub se nouem comites de
genere Francorum: scilicet Bituris Hum-
bertum; Pictauis vero Abonem, Lemouicis
autem Rotgerium, Petragoris autem Ginto-
nium siue Ginthodum, Aluernis vero He-
rium, Valagiae autem quae nunc Diocesis
est Podiensis Bullum, Albix autem Aymo-
nem, in Burdegalis vero Sequinum, Tolosa
autem Comitem posuit Torsonum siue Torso-
nem, quem primum existimo Tolosa Co-
mitem extitisse, quibus filium suum Sudo-
uicum Regem praefecit.

Torsoni vero in Comitatu Tolosano Guillel-
mus fuit subrogatus: nomina autem Comitum
Tolosa qui sequuntur, et ea quae de ipsis po-
tuit reperire ex Chronica Magistri Guillelmi
de Podio Laurentii, et ex gestis nobilis viri
Comitis Montisfortis et quibusdam aliis
pro ut sequitur recollegi.

De genealogia illustrium Comitum Tolosae,
in quorum terminis ultimo superuenerunt
haeretici postquam posteriores a Priorum ves-
tigis declinarunt, quamobrem deleta tota illa

linea et abrasa, totum ius comitatus est ad
Dominium Regis franciæ deuolutum.

ysaureus seu ysaurectus.

Bertrandus.

Guilielmus.

Raymundus primus de Sancto Agidio.

Guilielmus Falhafferri.

Pontius qui erat Comes anno Domini 1060.

Aymericus.

Raymundus vir illustris de quo fidelis

tenet assertio, quod iste anno Domini
1098. Antiochiæ, item anno Domini 1099; He-
rusalem Ciuitatum interfuit captioni, post eu-
ius captionem obsedit ipse Tripolim ædificans
Castrum prope illam in littore Maris quod
dicitur Peregrinum ut eam facilius oppug-
naret, in cuius obsidione mortuus est in serui-
cio Domini Iesu Christi anno eiusdem Do-
mini 1105.

Bertrandus filius præfati Raymundi, de-
functo Patre in obsidione Tripolis obsidio-
nem continuauit, et a principio obsidionis
completo Septennio præsentis et auxiliante Re-
ge Hierosolymitano eam in deditioem rece-
pit. Erat autem et frater iunior Alphonsus
nomine. Bertrandus iste non annumeratur
in numero Comitum, pro eo forte quia ultra
mare consistens non fuit dominatus. l.

Guilielmus de Tholosa erat Comes Tolosa
et Princeps Pictaviensis, anno Domini iiii.
regnante Rege Franciæ Ludouico, sicut in
quadam charta antiqua illius temporis
inuenitur.

Alphonsus qui et Hildephonsus memora-
tus frater Bertrandi prædicti, erat Comes
anno Domini ii27. In mense Julii, sicut
in quadam charta antiqua illius temporis
inuenitur. Iste Alphonsus cum apud Au-
rasicam teneretur impeditus, Ciues Tolosani
illuc exercitum in manu valida transmise-
runt, anno Domini 1133. Et adductum eum
sibi tanquam naturalem Dominum præsece-
runt, expulso inde Guilhermo de Sancto Mau-
rello milite qui pro Comite Pictaviensi, qui
prodit de genere Principum Tolosa, illis præ-
fuerat et Castrum tenuerat quod dicitur Nar-
bonense. Idem vero Comes Alphonsus ex
Domina Faydita genuit filium Raymundu
nomine, qui fuit vir audax, strenuus et fa-
mosus. Obiit autem Alphonsus anno Do-
mini 1148.

Raymundus tertius memorati Alphonsi
filius duxit Constanciam filiam Ludouici
illustris Regis Franciæ in uxorem; ex qua
genuit Raymundum anno Domini 1156.
post quem et alios duos scilicet Falhaferrum

et Baldoynum, ipse vero mortuus est et sepultus apud Nemausum in Claustro Ecclesie Cathedralis anno Domini 1194, ætatis vero primogeniti filii sui anno 38.
Raymundus quartus, Raymundi tertii primogenitus ex Constancia memorata successit Patri defuncto, qui adhuc patre viuentis duxerat in vxorem Beatricem Sororem Trencauelli Vice-Comitis Biterrensis ex qua genuit filiam quam tradidit in vxorem Regi Nauarra, illi qui iacet in Ecclesia hospitalis Roncideuall. quam dimissam dum adhuc viueret dictus Comes pater eius Petro Bermundi de Saluio coniugio copulauit. Idem autem Comes anno Domini 1196. Illustrem Dominam Ioannam Sororem Ricardi Regis Anglia post mortem Guillelmi Regis Sicilia, cuius vxor fuerat, duxit in vxorem et genuit ex ea Raymundum vltimum anno Domini 1197. quem peperit apud Bellicadrum Diæcesis Arelatensis. Quæ postquam surrexerat de partu cum esset mulier animosa et prouida et Zelans iniurias viri sui quem multi Magnates et milites offenderant, contra Dominos S. Felicis, Castrum eorum quod dicitur Casser obsedit et oppugnauit: Sed parum sibi profuit, quibusdam qui erant cum ea ministrantibus arma obsessis et auxilia

proditoraliter et occulte, propter quod offen-
sa ab obsidione recessit; vix sibi licito de
castris egredi, donec immisso igne a prodi-
toribus flamma occurrerent exeunti. Cu-
ius iniuriæ dolore permota ad fratrem
suum Regem Angliæ Ricardum properabat
iniuriam ostensura; quem cum mortuum
inuenisset cum prægnans esset duplici
oppressa dolore mortua est, et ipsa sepulta
ad pedes Matris suæ Helionor Reginae
Angliæ, iuxta fratrem suum Ricardum se-
pultum ad pedes Henrici Regis Angliæ Pa-
tris sui in Ecclesia fontis Ebraudi. Mortui
sunt ergo Ricardus et Joanna soror eius
anno Domini 1199. Post mortem vero
Joanna dictus Comes duxit in uxorem
sororem Petri Regis Aragonum nomine
Helyonor anno Domini 1200.

Tempore istius Comitis Raymundi præci-
pue in Comitatu ac terris sua ditioni sub-
iectis superuenerunt Heretici Manichæi
et Arriani, pariter et Valdenses sicut in
Chronica Magistri Guillelmi de Podio
Laurentio plenius scribitur et narratur,
contra quos ab occiduis partibus Hispa-
niæ emisit Deus sagittas electas Dominum
Didacum Episcopum Oxoniensem, et Bea-
tum virum Dominicum contra ipsos Here-

aticos specialiter Prædicatorum ordinis fun-
datorem; sicut in gestis eiusdem s. Dominici
plenius continetur: multi quoque legati
Sedis Apostolicæ missi fuerunt plures; hac
de causa et multo sudore laboratum est per
Ecclesiam annis multis ad pestem Hæreti-
cam expellendam; fuitque Crux per Reg-
num Francia et Theutonia contra pestiferos
Hæreticos publice prædicata, nec ab ipsa cul-
pa potuit dictus Comes viuus nec etiam
mortuus expurgari, sicut magis sequentia
deklarabunt.

Hic siquidem Raymundus Comes ob culpam
suam; quia terram suam ab hæreticis non purga-
bat, et Romana Ecclesia rebellabat, fuit priua-
tus per Sententiam Comitatu Tolosano, et ad-
iudicatus est Comitatus Symoni Comiti Mon-
tisfortis in Concilio generali Lateranensi ab
Innocentio Papa iii. celebrato, anno Domini
1215. 3. Cal. Nouembris, sicut magis infra lique-
bit.

Simon Comes Montisfortis, vir illustris ac per-
omnia laudabilis Comitatum Tolosanum totam-
que terram subiectam ditioni Comitis Tolosani
bella gerendo Domini meruit obtinere, pro-
ut in gestis eius plenius continetur; partim
quoque in Chronica Magistri Guilielmi de
Podio Laurentio scribitur et narratur, priuato

inde per Sententiam Raymundo Comite memorato in prasato Lateranensi Concilio Generali, cui interfuit Raymundus Comes Tholosanus et filius eius Raymundus nomine et Comes Fuxi et Petrus Vermundi occasione Vxoris primogenitæ Comitis Tolosani, pro parte vero altera erat Guido Frater Comitis Montisfortis, fuitque terra adiudicata Simoni Comiti Montisfortis, priuato inde per Sententiam Raymundo Comite Tolosano, et fuit Traditum Castrum Narbonense eidem Comiti Simoni et iuratum Dominum a Ciuibus atque Burgensibus Tolosanis et ipse nominatus et habitus pro Comite Tolosano, et a Notariis ponebatur Comes in publicis instrumentis, fecitque dirui muros Ciuitatis et parietes Burgi et æquari fossata, et turres domorum fortium destrui infra villam, vt ultra non auderent insurgere contra ipsum: et cathenas ex compitis amoueri fecit, et Castrum Narbonense quod tunc Solidum erat vsque in altum, sicut et nunc est, euacuari tellure et portam aperiri ab oriente vt ignorantibus aut inuitis ciuibus castrum posset ingredi quando vellet, iussitque fossata magna fieri, inter Castrum et Ciuitatem; et cingi magnis subdibus. Libet autem ad memoriam futurorum scribere in hoc loco quadam pauca de plurimis quæ antea per annos aliquot per

eundem Simonem Comitem Montisfortis e-
git Deus tanquam per suum organum et Mi-
nistrum quæ in Chronica Magistri Guilliel-
mi de Podio Laurentio seriosius conscribun-
tur. Anno Domini 1210. Comes Simon Dux
et Princeps exercitus Domini de concilio Pra-
latorum et Principum decreuit Castrum Vau-
ri in Dioces. Tol. ubi multi esse dicebantur
hæretici, obsidere: hoc ergo, promerente negli-
gentia dicti Raymundi Comitis Tolosani qui
ut suam terram purgaret ab hæreticis et Rup-
turiis inueniebatur inobediens et remissus:
ad obsidendum ergo Castrum Vauri memora-
tus Simon cum exercitu Domini properauit,
quod Aymericus Dominus Regalis montis
et Lauriaci, frater nobilis mulieris Geraldæ
Domina dicti Castri ob gratiam Sororis sump-
serat defendendum; eratque interius Hæretico-
rum indutorum non modica multitudo non
ibi assidue commorantium, sed quampluri-
um qui tunc conuenerant a remotis habenti-
um spem quod plures ibi caderent vulnerati
quos ipsi sibi reciperent, secundum ritum su-
um damnatum, ad saluandum, ut dicunt; ta-
lium animas quos in fine recipiunt et ut eo-
rum pecunias possiderent. Illuc ergo applicu-
it benedictus Dei exercitus, et cinxit undique
totum Castrum et pontem fecit ligneum super

amnem quo iretur in exercitum extrinsecus
hinc et inde: obsessis autem die noctuque requi-
es non dabatur, cum assidue petrariis et molari-
bus et aliis bellicis aggressionibus premerentur;
videntesque quod descendere se non poterant
voluntati se oppugnantum reddiderunt. Poti-
us ergo Comes Simon Castro sibi tradito ad li-
bitum, Dominum Aymericum magnatem
nobilem cum paucis militibus in suspendi-
um eleuauit, ceterosque generosos, cum quibus-
dam qui se illis immiscuerant sperantes quod
militibus parceretur usque circiter octoginta
gladio consummauit, haereticos vero indutos
circiter 300. in quibusdam vero chronicis scri-
bitur 400. flammis exustos materialibus igni
concremandos perpetuo assignauit; et Domi-
nam dicti Castri Geraldam proiectam in pute-
um lapidibus tumulauit. Vulgus autem sub con-
ditionibus est seruatum.

Peracto itaque quod incumbere ibi, ad castrum
quod dicitur Casser Dei exercitus properauit,
quo expugnato et capto, circiter 60. Haereticos
quos inuenerunt pariter combusserunt.

Anno vero Domini 1213. paulo ante festum
Exaltationis sanctae Crucis Comes Simon habens
secum tantum usque ad mille numerum arma-
torum apud Muretum pro fide Christi et cau-
sa Ecclesiae quam gerebat, non veritus multitudi-
nem

exercitus infinitam aduersariorum contra Pe-
trum Regem processit Aragonum, qui plures
habens Secum Comites et magnates cum Ciui-
bus Tolosanis, in manu valida exiuerat et obse-
derat Castrum Mureti, quod praefatus Comes
Stabiliuerat contra praefatum Raymundum,
Comitem Tolosanum. Diem ergo praecedentem
festum Exaltationis Sanctae Crucis pro bello Cru-
cifixi Christi pugiles elegerunt, et factis confes-
sionibus peccatorum et audito ex more officio
diuino, et cibo salutari altaris resecti, et prandio
sobrio confortati arma sumunt, et ad praelium
se accingunt. Aderant autem cum exercitu Do-
mini, viri praecelari Fulco Tolosanus, Guido -
Carcassonensis et Sedisius Agathensis Episcopi
cum aliis quatuor Episcopis, qui exemplo Moy-
si dum in campo praelium fidei ageretur ele-
uantes manus in caelum unde venit auxilium
et victoria a Deo, intra Ecclesiam cum suis Cleri-
cis orantes et clamantes alta voce cantabant, hos-
tem repellas longius, pacemque dones protinus,
et caetera eiusdem Hymni prosequentes. Ordina-
tis ergo aciebus hinc et inde ad pugnam veni-
unt dato primo congressu ex parte Regis Ara-
gonum et Comitis Fuxensis cum Cathalanis et
copiosa multitudine bellatorum. Ex aduerso au-
tem Comes Simon venit tribus ordinibus usu
ut nouerat militari, ac posteriores properantes

in vnum ad primos ictus cum prioribus affue-
rant, docti satis quod pugna vnanimiter aggres-
sa victoriam parit, adeo quia hostes primo im-
pectu subuerterunt quod eos in campo vt ventus
a facie terræ puluerem propulsarunt, quibus nec
licitum fuit vt se in posteriores acies collocarent.
Deinde ad Regis aciem vbi vexillum Regis no-
uerant se conuertunt, tantaque pressura in ipsū
irruunt quod armorum collisio et sonitus iclu-
um in longinquum per aëra ferebantur, ac simul-
ta Secures nemora detruncarent, mortuusque est
Rex ibi, et magnates plures de Cathalonia circa
eum, cæteri autem terga fugæ dederunt, et infini-
ti dum fugerent ceciderunt, ipsi quoque Comi-
tes Tolosanus et alii fugæ præsidio euaserunt.
Populus autem de castris vbi erant Vallati cur-
ribus et aliis impedimentis adhuc cui cessisset
victoria ignorabat, donec redeuntium ex tro-
phæo vexilla vocantes ad nauigium quod ha-
bebant in Garumna litore concurrerunt, et qui
potuerunt ingredi euaserunt, cæteri vero submer-
si sunt, vel in campi planicie, ceciderunt, ita vt
occisorum numerus vbique esse quindecim mil-
lium diceretur: nec fuit inuentum, quod est mi-
raculum Dei, et soli virtuti diuinæ ascribendum
quod vnus ex parte Ecclesiæ in illo prælio ce-
cidisset, in gestis tamen Comitis Montisfortis
scribitur quod vnus solus miles, et paucissimi

seruientes ex parte exercitus Simonis Comitis
et Ecclesia ceciderunt: corpus autem Regis Fra-
tres hospitalis sancti Iohannis nudum inuentum
in campo, petillum et concessum eo tempore leua-
uerunt. Pugiles ergo Dei non de sua sed Domi-
nica virtute confisi, reuersi in Castris de Cas-
tris hostium triumphantes gratias dederunt
Domino Iesu Christo, qui sua dignatione pau-
cis eis de terra multorum victoriam concessisset.

Nunc vero ad propositum redeamus, post pra-
satum siquidem lateranense Concilium Comes
Raymundus secessit in Hispaniam, et filius eius
Raymundus venit in Prouinciam Comite Simo-
ne Tolosæ dominium iam adeptus, fuitque dictus
Raymundus amparatus a ciuibus Auinionen-
sibus et receptus, et conuersa est ad eum terra Si-
militer Veneysini. Et inde mouit guerram Comi-
ti Montisfortis. Interim quoque Tolosæ Comite
Simone dominante, secreto tractatum extitit cum
Comite Raymundo veteri in Hispania perua-
ganti, qualiter Tolosam rediret expulso Comite
Simone. Igitur anno Domini 1217. cum Comes
Simon Guerram gereret longe cum Ademario
de Pictauis ultra Rhodanum, obseruata tempo-
ris opportunitate Raymundus Comes cum
Conuenarum et Palleariorum Comitibus, et pau-
cis militibus transit Pyreneum et intrauit Tolo-

Sam mense Septembris, non ponte sed vado: quod cum pauci scirent quibusdam placuit, quibusdam vero displicuit. Comes vero Guido qui erat in terra pro Comite Simone fratre suo, tentauit ferro recentem motum compescere, sed repulsus non valuit adimplere. Interim autem dum ista Simoni Comiti nunciantur tenenti obsidia apud Grestam, Ciues ceperunt contra Castrum claudere Ciuitatem palis et subdibus et magnis trabibus et fossatis, veniensque Comes Simon cum Domino Bertrando Cardinale, qui missus est Legatus ab Honorio P.P. III. inuasit in manu valida Ciuitatem, sed defendentibus se viriliter Ciuibus nihil potuit illa vice. Denique Machinae undique eriguntur, et mittuntur molares lapides versa vice. Mittitur interea in Franciam a Legato Dominus Fulco Episcopus Tolosanus praedicaturus crucem cum aliis, qui mandatum habuerunt, cum eodem cum quibus affuit Magister Jacobus de Vitriaco vir magna honestatis et literaturae ac eloquentiae qui postea fuit Episcopus Anthonensis, deinde in Curia Romana Cardinalis, cui iniunctum fuerat per visionem in somniis a Beato Saturnino Tolosa prothoprasule, ut contra populum suum praedicaret, et in illa praedicatione multos cruce signauit, qui venerunt in illa obsidione Tolosa verno

tempore subsequenti. Cum ergo labor pugnae
tam obsessis, quam obsidentibus per totam
hiemem tam cum Machinis, quam cum aliis
instrumentis bellicis perdurasset, Comes Si-
mon roboratus recentibus peregrinis non tam
aggressionibus quae fiebant extrinsecus, quam
etiam discursibus qui fiebant circa villam,
equos et ciues impediens barreris, et fossatis
aduersarios infestabat: cuius demum fuit con-
siliium adificare machinam ligneam, quam
vocabant Catam, cum qua terram et ligna per-
traherent ad replendum fossata, quibus aequalis
pugnam cominus inferrent, et effractis clausu-
lis consilirent. Cumque intra Catam illam in
Crastino Natiuitatis benedicti Joannis Baptis-
tae anno Domini 1218. immissus ab aduersa
parte lapis Mangonelli cecidit super caput
Simonis Comitis et comminutus expirauit, quod
ciuibus intra villam innotuit illa die, qui
quantam haberent laetitiam clamoris exulta-
tionibus, non celarunt; quando erat magna
tristitia ex aduerso. Ecce cuius terror erat a
Mari mediterraneo, usque ad mare Britan-
nicum cadit sub lapidis vno ictu, in cuius ca-
su qui steterant ceciderunt, et in eo qui bonus
erat, timor percellit subditorum. Defuncto
vero Comite, Successor eius et haeres ipsius
filius Amalricus ab obsidione recessit, Castrum

resignans quod tenere non poterat Narbo-
nense et corpus paternum apud Carcasto-
nam curatum more Gallico exportauit; va-
cillante ergo terra post paucos dies Castrum
nouum de Arrio redditur Raymundo veteri
Comiti Tolosano, quod Comes Amalricus non
est cunctatus collectis exercitibus obsidere, e-
rectis machinis contra ipsum, tuente illud ac
stabiliente Raymundo iuniore, filio Raymun-
di veteris Comitis Tolosani. Factumque est
vna die, quod in quodam insultu cecidit Gui-
do Comes Bigorra, frater Comitis Amalrici, et
filius quondam Symonis iam defuncti, et con-
fossus vulneribus expirauit, et ab aestatis fine,
vsque ad finem hiemis est certatum. Demum
plura Castra se reddiderunt, et adhaeserunt
Raymundo veteri Comiti Tolosano. Anno
vero Domini 1221. nata est Joanna filia
vnica Raymundo iuniori, filio Senioris, et
ipso anno multa se illi oppida reddiderunt: Cas-
trum vauri, et Podii Laurentii, et Regalis mon-
tis ab ipso expugnantur et capiuntur. Anno
vero Domini 1222. Raymundus Senior Co-
mes Tolosanus morte praeventus subita, To-
losa extinguitur, nec potuit quicquam loqui,
venientibusque fratribus hospitalis sancti Jo-
annis, proiedo sibi desuper pallio, corpus eius
ad eorum domum portatum est, nec sepultum

et adhuc tenetur ibidem, sicut conspicitur,
insepultum: iure enim graui et multiplici
vinculo anathematis innondatus, aduersa-
rius et Sathan Ecclesie Ecclesiastica caruit se-
pullura. Cuius filius Raymundus vltimus
processu temporis, postquam etiam iam obti-
nuerat pacem Ecclesie, et Regis Francie, pro-
ductis testibus apud sedem Apostolicam super
probando quod signa penitentiae habuisset,
toto quoad vixit tempore, totis conatibus et
viribus elaborans, nullomodo quod sepelire-
tur potuit, sicut nec debuit, obtinere.
Raym. vltimus antedictus memorati Raym.
Senioris filius mortuo patre suo anno Domi-
ni 1222. Comitatum Tolosanum paterno
Successionis iure sibi adscribens, non sine ta-
men Ecclesie iniuria et offensa, quae ipsum
Raymundum iure ac de iure priuauerat, et
Simoni Comiti memorato ac suis haeredibus
iura contulerat Comitatus in Lateranensi
Concilio generali, pro vt superius est pertrac-
tatum, obtinuit violenter, donec misericordia
et veritas obuiauerunt sibi, Iustitia et pacis
obsculatae sunt, misericordia siquidem Ecclesie
veritati humiliationis et paenitentiae ipsius
Raymundi vltimi Comitis obuiauit. Et tunc
Iustitia corrigens et emendans reconciliatio-
nis federe pacis osculum non negauit, pro vt

Sequentia aliquo modo declarabunt. Multi tamen tractatus pacis fuerunt primitus habiti, et multa prouisa consilia ad tractandum et treugæ inita et concessæ, quibus transactis guerra residuum agebatur; sicque inter euentus belli varios et Guerrarum, duobus serè annis labentibus, Comes Amalricus filius et hæres Simonis Comitis antedicti, videns incolarum terræ inconstantiam, et quod de die in diem in contrarium abirent, terram illustri Regi Francia Ludouico, Sancto postmodum declarato resignauit, et iure suo totaliter Successorem fecit. Missus est itaque tunc legatus Dominus Romanus Sancti Angeli Diaconus Cardinalis, vir sufficiens tantis negotiis pertractandis, qui induxit Sanctum Ludouicum Regem, ut reseruatam sibi negotium imperatum sub aliis, ipse assumeret peragendum. Quod idem Rex attentauit collato Constablatus officio in Franciam Comiti Amalrico, quem nouerat prouidum ac strenuum, et expertum in exercitio militari. Reliqua autem gestorum et actuum Domini Regis Francia Ludouici in persecutione negotii iam assumpti, et finis vitæ ipsius, conscripta sunt in chronica Magistri Guilielmi de Podio-Laurentii luculenter. Tandem venerabilis Abbas Grandis-silvæ ordinis Cisterciensis Dominus Helias Quarini venit de Francia auctoritate legati

Domini Romani pacem offerens Tolosanis,
qui quassati vexationibus paci consentiunt
facienda, et sumptis treugis miscentur collo-
quia, et quod sit eundum in Franciam ordina-
tur, et locus ad veniendum primo fuit Mel-
dis in Bria, Ciuitate Comitum Campaniæ as-
signatus: veniuntque ibi Raymundus Comes
Tolosanus et alii viri, et Ciues Tolosani, qui in
forma pacis seu instrumentis inde formatis
nominantur: eratque ibi legatus pluresque
alii Prælati, qui fuerunt euocati ubi tradan-
do pacis modo diebus pluribus est moratum.
Deinde profecti sunt Parisius, vt in præsentia
Regis Ludouici, Sanchi postmodum per Eccle-
siam dedarati, deberent omnia consummari:
omnibusque ordinatis et sigillatis, reconcilia-
tus et absolutus fuit Comes, et qui cum ipso e-
rant ab excommunicationis sententia, qua
fuerant innodati, in die parasceues, mense
Aprili, dictusque Comes Crucem suscepit
transmarinam anno Domini 1228. eratque
pietas virum tantum videre qui tanto tempo-
re tot et tantis nationibus potuerat restitisse, du-
ci nudum in Camisia et in braccis et nudis pe-
dibus ad altare, erantque præsentibus ad hoc
Duo Romani Ecclesiæ Cardinales, vnus lega-
tus in Regno Franciæ et alius in Regno An-
glie Episcopus Portuensis. De forma vero pa-

cis non est hic necesse scribere cum vulgata
sit et scripta, et a pluribus habeatur; sed pla-
cet inserere in hoc loco, quod in primis pi-
ssimi Regis Franciæ Ludouici auspiciis de
tam proluxa guerra ipsius Comitis Tolosani,
sic Deus eius pueritiam honorauit, quod de
pluribus conditionibus in prædicta pace
obtentis et contentis, vna quæque per se sola
sufficere videretur, quasi ad redemptionis pre-
tium, si Rex eundem Comitem inuenisset ad-
uersum se in campestri prælio et cepisset, ut
est quod Tolosam et Episcopatum Tolosanum
sibi in vita concessum tantum, nulli posset
hæredi suo relinquere, nullusque eius hæres
vel filia suæ nullum sibi ius reclamare, nisi
soli ex ipsa filia et fratre eiusdem Regis Alphon-
so tantummodo descendentes. Item Sufficeret
ad penam eum esse quinquennio ultra mare:
Item quod se ad soluendum viginti septem
millia marcharum argenti obligauit.


Item quod totam alienam terram ultra Epis-
copatum Tolosanum versus Orientem infra
Rhodanum et ultra, Regi acquitauit et Ecclesiæ
ac dimisit: taceoque de cæteris quorum se sup-
posuit grauitatibus, quibus si captus, esset mul-
tatus, plurimum videretur, ut quod factum fuit,
factum credatur non per hominem, sed per
Deum. I.

Eodem anno mense Julii subsequenti, in trās-
latione Beati Martini, fuit reconciliata Ciuitas
Tolosana per Magistrum P. de Collomedio
Gerentem vices Legati, Comite nondum de
Francia reuerso, qui voluntate propria re-
mansit in prisione Regis Parisius, donec
muri Tolosæ diruti essent et Castra et vil-
lae redditæ, pro vt in forma pacis fuerat or-
dinatum, et quod esset tradita filia eius Joan-
na nouem annos habens Regis nunciis Car-
cassonæ, quam postea duxit Alphonsus fra-
ter Regis, Comes Pictauia in uxorem. Factus
ergo miles idem Comes a Domino Rege Lu-
douico in festo Pentecostes, mox implens
quæ pacta fuerant, ad propria est reuersus
anno 1249. vi. Calendas Octobris, Raymun-
dus vltimus Comes Tolosanus apud Amitia-
num diem claudens extremum ætatis suæ
anno 52. de medio est sublatus, delatumque
est inde corpus eius, et transuectum a supe-
rioribus partibus Terræ suæ ab Oriente des-
censurus ad inferiorem versus occidentem
per Albiam, Galiacum, Rapietagnum, et To-
losam ad partes, Agennum, et per Garum-
nam, vt in suo transitu vltimus ipse in li-
nea Comitum Tolosæ, vltimum lamentum
terris suis relinqueret vniuersis. Eratque
pietas prius et posterius videre naturalem

et a modo nullum de sua linea expectare,
sicque fieri Domino Jesu Christo placuisse
videtur, ut cunctis innotesceret quod
propter peccata labis hæreticæ terram mul-
tasset Dominus vniuersam, sublato Domi-
no naturali, fuitque corpus Comitis in Cœ-
nobio Monialium Ordinis Fontis Ebrau-
di, quod Paradisus dicitur commendatum,
et in sequenti verno tempore transacta hi-
eme ad sepeliendum apud Fontem Ebrau-
dum ut elegerat deportatur.

Alphonsus frater Regis Franciæ piissimi
Ludouici, Comes Pictaviæ qui filiam vnicam
et hæredem memorati Raymundi Comitis
Tolosani duxerat in vxorem, mortuo Ray-
mundo vltimo, Tolosanum obtinuit Comita-
tum: erat autem cum vxore sua Joanna
in exercitu Domini in partibus transma-
rinis. Anno vero Domini 1251. x. Cal. Ju-
nii memoratus Alphonsus et Domina Jo-
anna consors eius, qui præcedenti anno
de partibus redierant transmarinis, intra-
uerunt Tolosam, et Dominium Comitatus
ac totius terræ dicti Raymundi Comitis
acceperunt. Anno Domini 1271. apud
Saynam Ciuitatem maritimam xij. Cal. Sep-
temb. Dominus Alphonsus Comes Picta-
uiæ et Tolosæ et eius vxor Domina Joanna


filia quondam Raymundi Comitis Tolosa-
ni sine liberis breui dierum spatio moriun-
tur, et si qua spes esse poterat de futuro herede
in Comitatu Tolosano tunc penitus est subla-
ta, ut videatur deleta tota illa linea et abra-
sa. Et sic est deinceps totum ius Comitatus et Do-
minium ad manum illustris Regis Fran-
ciae deuolutum. / .




ectare,
Macuis.
quod
m mul.
Domi.
in Cæ.
Ebrau.
datum
acta hi.
Ebrau.


ssimi
vnicam
Comitis
Ray-
Comita.
anna
nsma.
cal. ju.
ina so-
anno
, intra-
mitatus
nitis
pud-
Cal. Sep.
Picta.
Joanna














2

lands

170

Kl






UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
GIESSEN



UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
GIESSEN



Colour & Grey Control Chart

Danes Picta

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta
White	Grey 1	Grey 2	Grey 3	Grey 4	Black